



Riste sane officium est, funus indicere, exsequias parare, præser-tim magnæ spei adolescenti, & ei, in quo inclita & antiquæ gloriæ familia cum corpore exani-mi contumulatur, & nominis succiditur pro-pagatio. Etenim facile est coniectare, quan-tum vulnus inde parentes, si supersint; quan-tum cognati ceteri accipient, si stirpitus exci-sum genus viderint, quod per longam annali-um memoriam virtutis & gloriæ feracissimum exsttit, & magnos fructus ad rem publicam & ad patriæ communem tulit utilitatem. Horum autem grauissimo dolori magno fomen-to, quod mitiget acerbitatem, utique meden-dum est: idque difficilius adhibetur iis, qui sa-pientiores ceteris vulgare solatum perspe-ctum habent, nec vero illo a luctus grauitate adleuantur. Nihilominus aliquid nobis adfe-rendum est, quum generoso Iuueni, & vnico, ut sperabatur, suæ Gentis propagatori, supre-mum faciendum est officium, & spes ipsa, quam conceperant propinqui, vna cum ipso sepelienda. Talis casus erat, quo Vestricii Spurinnæ olim domus fuit concussa, qui ab-sens, quum in Germania bellum gereret, Bru-ðerorumque restitueret Regem, filium præ-claræ indolis, summæque spei, COTTIVM, ami-